



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium
occurrere solitis, & ex communiote ...**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1678

Membrum X. De ijs, quæ erga Magistratum observare debet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

tamen non obstante, non videtur Pastor eò usque obligari, ut etiam per se ipsum Sacramenta tempore pestis administra- re cogatur; non enim videtur mens Concilii fuisse, ut Páro- chus, qui Parochiæ suæ tam utilis est, cogatur sine necessita- te gravissimum vitæ periculum subire.

Qu. 8. *An, si Ecclesia habeat propriam domum Parochia- lem, Pastor eâ relicta possit in paterna vel Cognatorum domo intra fines Parochia existente habitare?* R. affirmative cum Possentino de offic. Curat. c. 1. n. 7. quia, cum supponatur ex paterna domo prospicere sufficienter posse Parochianorum suorum necessitatibus, non apparet ratio, cur ei propter majus commodum, aut aliam similem causam talis habitatio concedi non possit.

M E M B R U M X.

De iis, quæ erga Magistratum observare debet.

Qu. 1. *Quid erga Magistratum observare debeat Pastor?* R. sequentia præcipuè. 1. Ut non immisceat se in rebus, quæ ad politicam administrationem pertinent; nihil enim perinde animos avertit, quàm si suis quisque limitibus non contentus alienos invadat. 2. Ut omnem illi reverentiam & honorem tam verbis, quàm factis exhibeat, suòque exem- plo etiam subditos suos incitet ad similem reverentiam exhibendam; sic enim efficiet, ut ipse quoque Magistratus ipsi vicissim reveretur, ejusque auctoritatem apud subditos defendat. 3. Ut studiosè caveat ab omni tam privata, quàm publica coram subditis murmuratione, aut correctione Ma- gistratûs; hoc enim modo magis exulcerantur animi, quàm emendantur. Quòd si gravem errorem à Magistratu com- mittere, aut subditos graviter premi advertat, tum aut ipse il- lum privatim cum suavitate & discretionem moneat; aut si mi- nus fructuosam fore admonitionem timet, ad Ordinarium rem deferat, & quid in tali casu faciendum sit, ab eo ex- spectet.

M E M B R U M XI.

De iis, quæ erga Communitatem observanda.

Qu. *Quid circa Communitatem observare Pastor debeat?*
R. tria potissimum illi procuranda, quæ in corpore humano,
Instruct. IV. M *cujus*